



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XVIII. Postrema argumenta aduersùs distrinctionem virtualem intrinsecam
in rebus creatis soluuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

claudantur duobus terminis, supremo scilicet genere, & differentia infima, haud propterea non poterunt esse infinita.

268 Dices primò cum P. Suarez vbi paulò suprà, partes lineæ bicubitæ infinitas esse communicantes, & minores inclusas in maioribus, ac, nisi inadæquatè tantum distinctas inuicem; quare haud esse mirum, quòd eiusmodi infinitudo terminis cohibeatur: cæterum prædicata essentialia hominis, aut alterius speciei ratione, & virtualiter esse distincta, id quæ adæquatè, & ex toto, aliæque haud includi in aliis: quamobrem eorum infinitudinem haud posse cohiberi terminis: cohiberetur autem, si quæ posset admitti: nullam ergo esse admittendam.

269 Verum in primis maior est distinctio realis inadæquata, quàm distinctio virtualis, ac solius rationis, quantumvis adæquata: illa siquidem aliquid habet veræ distinctionis, hæc omninò nihil: si ergo partes lineæ realiter inadæquatè distinctæ, & communicantes inuicem nihilominus intrà duos terminos infinities multiplicari possunt; à fortiori id ipsum dicendum est de prædicatis essentialibus, quamvis adæquate, ac nonnisi virtute, ac ratione sola distinctis. Deinde inter summum ens, Deum scilicet optimum maximum, & non ens sunt infinitæ species creaturarum possibiles: at illæ distinguuntur realiter adæquatè: parum ergo refert inadæquata distinctio realis partium continui terminati, quandoquidem idem fieri potest argumentum in alia infinitudine rerum realiter adæquatè distinctarum, & tamen terminis vtrinq; clausa. Ad hæc in physica ostensum est, partes infinitas cuiuscunque continui realiter adæquatè distingui: quocirca opposita ruit instantiæ fundamentum.

270 Dices secundo, terminos immediatos, hoc est, inter quorum alterutrum, & quas coercent partes, nullum sit medium, nullum interstitium, ob stare infinitati: hæc enim de causa partes numeri alicuius, v. g. decadis nequeunt esse infinitæ, quia videlicet ita cohibentur intra primam vnitatem, & decimam, vltimamque, vt primæ vnitati sit immediata secunda, & huic tertia, & sic de reliquis sursum ascendendo; contra verò decimæ vnitati nona, & huic octaua, & sic de cæteris ordine retrogrado. Cæterum si sint immediati termini illi, quibus coercentur aliqua numerositas, siue multitudo, hanc esse posse infinitam: hinc enim est, vt partes cuiusvis continui à Deo producti sint infinitæ, quia scilicet puncto illius terminatio nulla pars est immediata, nulla, quæ non possit diuidi in alias duas minores, quarum altera sit propior, ac vicinior ei puncto: & par est ratio respectu eius, quod dici solet inchoatium: hinc etiam est, vt intra summum, & increatum ens, ac non ens creaturæ possibiles sint etiam infinitæ, quoniam videlicet nulla produci potest adeò perfecta, quin inter eam ac Deum mediet, vt sic dicam, alia perfectior, si minus actū producta, at certè produci non repugnans: nulla item adeò imperfecta, quin sit in potentia creatoris alia imperfectioni non entis vicinior, eamque inter, & priorem media. Quæ, cum ita se habeant; prædicata omnia essentialia hominis, verbi gratia, continentur intra terminos immediatos: nam substantia hinc immediatè terminat eorum seriem, cum ei sit immediatum genus corporis, & huic viuens, &c. illinc verò differentia specifica, quandoquidem, tum ei, tum toti speciei est immediatum genus proximum, aliàs ita minimè meritorium appellari, & nequaquam à remoto distinguendum. Quamobrem haud videtur fieri posse, vt sit in prædicatis essentialibus processus in infinitum, quantumvis in parti-

bus continui, aut collectione creaturarum possibilem admittatur.

Sed ne hoc effugium tutos præstat aduersarios, 271 quippe quibus id permittere non possum, nec argumento facto cogor, prædicata essentialia terminis claudi immediatis. Nam, tamen quoad nos substantiæ sit contiguum genus corporis, aliter tamen reuera accidit: siquidem substantiæ, quæ est supremum generalissimumque genus, omnesque cohibens substantias, propius est aliud genus substantiæ, quod, tum corpora omnia, tum etiam aliquos contineat spiritus, non verò omnes, quàm genus corporis: est enim illud vniuersalius, quàm hoc: deinde, ne illud est immediatum substantiæ latissimè fusæ, sed ei vicinior est alia substantia, quæ, tum corpora cohibeat, tum maiorem spirituum multitudinem; & sic in infinitum.

Rursus etsi differentiæ specificæ hominis, ipsique 272 homini videatur immediatum genus animalis, si tamen non respectu nostræ, & scientiæ, quæ pollemus adeo imperfectæ, & malignæ sermo sit, sed potius res in se resecetur ad viuum, sanè propius est speciei humanæ à Deo conditæ, ac differentia eius propriæ genus hominis, quàm animalis. Scire namque est plures hominum species à Deo creati posse, quæ nimirum est possibilis inæqualitas, eaque notabilis, tum in corporibus non productis, tum etiam in animabus: in illis, vel propter capacitatem plurium, aut pauciorum formarum, vel propter maiorem, aut minorem actualitatem, & complementum, idque proprium, & non extrinsecus emendicatum: vel propter indiuisibilitatem, aut diuisionem integram partium: in his verò propter perfectiores, seu imperfectiores operationes discurrendi, amandi, &c. Quidni ergo homo in communi sit genus in ruitu huiusmodi specierum humanarum Deo possibile: at quod ei speciei humanæ, quæ modo est producta vicinior, quàm animal, est luce clarius. Deinde intra genus supremum hominis omnes eius continens species est aliud pauciores cohibens, & infra hoc aliud adhuc pauciores complectens, & sic absque fine, quin vnquam deuenire sit ad genus hominis infimum, & re ipsa proximum huic speciei hominis, quam agnoscimus. En quatenus prædicata essentialia hominis haud coercentur terminis immediatis, sed potius mediatis tantum.

Post hæc aliud est loqui de prædicatis essentialibus 273 directè collocatis in prædicamento, aliud de his, quæ non collocantur in eo directè, sed reductiue, & indirectè, cuiusmodi sunt differentiæ omnes prout tales, & quatenus condistinctæ à rationibus conueniendi; hæc namque haud sunt formaliter ens, substantia, &c. Quamquam ergo instantia facta id concludat, prædicata essentialia prioris generis haud esse posse infinita, eò videlicet, quod terminos fortiantur immediatos, substantiam nempe, & differentiam atomam: nihil tamen habet momenti in prædicatis essentialibus posterioris generis, vt intuenti clarebit.

CAPVT XVIII.

Postrema argumenta aduersus distinctionem virtuales intrinsecas in rebus creatis soluntur.

Vigesimum sextum argumentum. Admissa semel 274 distinctione virtuali, vnum contradictorium de alio verè poterit affirmari, siquidem hæc propositiones

non

non poterunt non esse veræ: simile est non simile: cognitum est non cognitum, vt liquet ex istis syllogismis: animal est simile, & rationale non simile, sed animal est rationale, ergo simile est non simile: animal est cognitum, & rationale non cognitum, sed animal est rationale, ergo cognitum est non cognitum. Consequens autem est absurdum: aliàs etiam hæc propositiones de extremis contradic-
tionibus erunt nihilominus veræ: factum est infectum, distinctum est indistinctum, gratum est non gra-
tum, lucidum est tenebrosum, album nigrum, ho-
mo non homo: Hæc autem, vel Poëticiis fabulis
fabulosa sunt, & magis absurda, quàm, sicut dixit
Maro in Batarum.

*Pallida flauescant æstu sitientia prata,
Immatura cadant ramis pendentia mala,
Desint & syluis frondes, & fontibus humor.*

Aut quàm si, vt cecinit Claudianus in Stilicone
*Irriget Ægyptum Tanais, Mæorida Nilus
Eurus ab occasu, Zephyrus se promat ab Indis,
Caucasique ingis calido nigrantibus Austro,
Tum Getulas Aquilo glacie constringat arenas.*

Respondeo in primis, argumentum instari in Deo, in quo, cum nihil absurdum, aut impossibile pos-
sit admitti, verumtamen est, genitum esse inge-
nitum, communicabile esse incommunicabile, pro-
ducens esse non producents, vnitum esse non vni-
tum, aliæque multa prædicata consentire quodam-
modo. Nam Paternitas est incommunicabilis, & es-
sentia communicabilis, at essentia est Paternitas: com-
municabile igitur est incommunicabile: rursus: Fi-
liatio est genita, & essentia ingenita: at Filiatio est
essentia: genitum ergo est ingenitum. Præterea: Pa-
ternitas est producents, vt quod Filium, & Spiritum
sanctum, quos tamen essentia, vt quod, & verè non
producit, alioqui seipsam productura: producents er-
go est non producents. Item Filiatio immediatè vnitur
humanitati Christi Domini, cui tamen natura à Fila-
tione indistincta sic non vnitur: vnitum igitur erit
non vnitum. Nec verò ad infinitatem Dei appellare
possunt aduersarij, quasi idcirco contradictoria de
se inuicem prædicari possint in Deo, quia est suapte
natura infinitus: namque, si vniuersum contradic-
toria coherere nequeunt, nulla quidem infinitas ea
poterit fæderare, nulla facere, vt in idem coales-
cant. Præterquam, quòd, tamen si, non solum in
Deo Optimo Maximo ea locum habeant, sed etiam
in quauis creatura, hæc nihilominus esse posset fi-
nita, quia nimirum eiusmodi habebit contradic-
tionem prædicatorum eorumque affirmabilitatem mu-
tuam ab alio, necnon tempore, & loco circumscri-
ptam, & aliis affectam conditionibus, quæ ab infini-
tate Dei infinite dissident, vti superius iterum, atque
iterum à nobis expensum: infinitatis ergo priuile-
gium non est, prædicata contradictoria inter se com-
mittere, aut efficere, vt verè prædicentur inuicem.

275 Respondeo secundò, contradictoria extrema, si
inuicem realiter distinguantur, non posse de se mu-
tuò prædicari, aut verè affirmari; secus verò, si
sint realiter eadem, ac tantum virtualiter distincta:
sed esse hominem, & esse non hominem, lucidum, &
tenebrosum, factum, & infectum, distinctum, & in-
distinctum, &c. realiter distinguuntur: eis enim
signa distinctionis realis superius posita conueniunt:
quocirca tamen de se mutuò dici verè nequeant,
nihil mirum, si tamen alia contradictoria nullo realis
distinctionis signo affecta verè enuntientur inuicem.
Respondeo terriò iuxta dicta superius cap. 13. quan-
tumuis admittatur distinctio virtualis, haud propter-
ea absolute, & sine aliqua tacita, aut expressa redu-
R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

plicatione duo contradictoria inuicem verè enun-
tiari: cum enim dicitur, simile est non simile, aut
cognitum est non cognitum, subintelligendum est,
quod animal simile, & cognitum est non simile, &
non cognitum prout est rationale, cum interim abso-
lutè, ac propriè dici non possit, illud non esse simile,
aut cognitum; negatio enim est malignantis naturæ,
& in propositionibus nobis obiectis, etiam omnis for-
malitatis cognitionem negat, atque similitudinem,
vti superius visum: fortassis autem in Deo secus se res
habet, & ita natura communicatur Filio, vt Paternitas
dici possit ei non communicata absolute, & non facta
hac adiectione, prout Paternitas est aliæque simili.
Respondeo quartò iuxta doctrinam capitis 13. nuper
citati, tantum affirmari ex nostra sententia vnum con-
tradictorium de alio præcisiuè, non verò negatiuè;
hoc pacto cognitum est non cognitum præcisiuè,
simile est non simile præcisiuè, quemadmodum dici
conuenit voluntas est amans, & non amans præcisi-
uè, id est amans pro posteriori signo naturæ, ac ratio-
nis, & non amans pro priori.

Vigesimalum septimum argumentum & superiori 276
assimile, eiusque confirmatio. Idem de seipso verè
negari nequit, si vtrumque, non solum realiter, sed
etiam virtualiter, ac ratione nostra sit idem: aliàs pro-
fectò hæc propositiones: homo non est homo, homo
non est animal rationale, aliæque eiusmodi in imam
penetrabunt veritatem, quas tamen falsas esse, &
non veras est vero verius: & quidem si idem de
seipso, non solum realiter, sed etiam virtualiter
sumpto, & in plures formalitates indiuiduo ne-
gari potest, cum aliunde idem de seipso semper af-
firmari queat, certè fiet, vt de eadem re ipsamet si-
mul affirmari possit, & negari, adeoque, vt prædica-
ta contradictoria in vnam etiam virtualiter entita-
tem conueniant. Consequens autem est falsum, &
absurdum. At concessa distinctione virtuali, idem
de seipso, & non realiter tantum sed etiam virtualiter
ipso verè negari poterit: eiusmodi ergo distinctio
est reiicienda. Maior vnà proposita est, atque probata.
Minor probatur: namque in sententia distinctionem
virtualem admittente, simile est non simile, cognitum
est non cognitum, &c. simile ergo non est simile, co-
gnitum non est cognitum, adeoque idem de seipso
etiam virtualiter, ac ratione nostra non diuerso enun-
tiatur: hæc consequentia est in propatulo, siquidem
hoc ipso, quòd lapis est non homo, bene sequitur,
quòd lapis non est homo: si ergo simile est non simile,
& cognitum est non cognitum, ritè fiet, simile non
esse simile, & cognitum non esse cognitum. Quocirca
perdidicimus nobis obiecerit quispiam ænigma Pla-
tonis lib. 5. de republ. necnon Panacris, vt testantur
Clearnus in libro ænigmatum, & Athenæus Dipno-
sophistarum lib. 10. cap. 17. paulò ante eius medium
homo, non homo, videns non videns percussit, non
percussit lapide, non lapide auem, non auem super ar-
bore, non arbore, admissa distinctione virtuali nihil
mysterij, nihil habere difficultatis, & frustra ita com-
muniter enodari; emmichus luscus percussit pumice
vespertilionem super sambuco: scortum enim ab his
metaphoris eiusmodi prædicata contradictoria in
sensu proprio, ac rigoroso esse vera: quinimo, non
tantum hoc ænigma, sed quoduis aliud quantumlibet
intricatum nostra mirabili distinctione virtuali
posse solui.

Hoc etiam argumentum manifestam patitur in-
stantiam in Deo. Communicabile enim in eo cit non
communicabile, genitum est non genitum, vnitum
immediatè est non vnitum, producents est non pro-
ducens: quæso ergo dicant aduersarij, an in Deo
G 3 commu

communicabile non sit communicabile, aut genitum non sit genitum, & sic in reliquis, quodque responderint, id sibi à nobis dictum putent. Rursus secundo, cum rationalitas tantum sit non similis, & non cognita improprie, proprie vero similis, & cognita, sicuti animalitas, ut superius exposuimus, profecto nonnisi improprie tantum idem de seipso iuxta nos negabitur, ac de simili, aut cognito dicitur, quod non sit simile, aut cognitum.

278 Tertiò, quemadmodum in vno sensu album est dulce, & in alio album non est dulce; ita etiam simile de nostra sententia, vno quidem intellectu erit simile, & alio non erit simile, & cognitum pariter erit, & non erit cognitum, aliter tamen, aliterque: etenim cum dicitur, quod est simile equo in homine, esse simile, significatur illud identificari realiter cum omni eo, quod in homine similitudinem habet cum equo, adeoque animalitatem hominis, cui ea similitudo primariè, & immediatè conuenit secum ipsa, neque non cum rationalitate realem sortiri similitudinem: atque hoc sensu verum est simile esse simile. Cum verò dicitur, simile non esse simile, significatur id, quod in homine potissimum simile est equo, nimirum animalitatem, distinguere virtualiter ab aliquo, quod etiam in homine reipso simile est equo, videlicet à rationalitate secundum ea, quæ superius sæpè differuimus, atque hoc sensu simile non est simile. Ecce quomodo idem concretum de seipso, non tamen eodem, sed diuerso sensu verè affirmetur; ac negetur?

279 Hinc autem neutiquam sequuntur absurda in argumento pertricta. Quod enim ad prius attinet, homo secum ipso, necnon cum animali rationali realiter, & etiam virtualiter, siue ratione ratiocinata identificatur: quapropter mirum non est, quod de homine tantum prædicari possit, quod sit homo, ac animal rationale; neutra verò ratio harum de eo verè possit negari: siue enim identitas realis, siue virtualis negetur, negationi falsum suberit eo, quod alterutra identitas inter illa interfit extrema. Cæterum id, quod est simile in homine, nimirum animalitas, realiter identificatur cum rationalitate, quæ reuera, licet mediata, est similis etiam equo: item eadem animalitas cum rationalitate non habet identitatem virtualem: quocirca in sensu reali verè dicitur, simile non est simile in homine, siue quod perinde, animalitas similis non est rationalitas similis eidem: at verò in sensu virtuali verè dicitur, simile non est simile, siue, quod in idem concurrat; animalitas similis non est rationalitas itidem similis: quorum alterum, & alterum nuper manet explicatum. Quod autem ad secundum attinet incommodum, illud etiam sequela caret: quoties enim variantur termini, & aliter, aliterque supponunt, affirmatio, & negatio de eadem etiam virtualiter formalitate esse poterunt, nullamque in ea contradictionem prædicatorum, nullam arguent distinctionem mediam: quando autem dicitur simile esse simile, & etiam non esse simile, vno sensu idem de eodem affirmatur, & alio de eo negatur: ita non sunt contradictoriæ propositiones hæc imago Petri est homo, & ea non est homo: illam enim esse improprie hominem affirmatur, & esse proprie hominem negatur.

280 Respondeo quartò, idem de seipso affirmari, & negari posse iuxta nostram sententiam, non tamen negatione stricta, sed lata, & quæ magis est præcisio, quam negatio, hunc in modum: cognitum non est cognitum præcisue: simile non est simile præcisue; quo autem pacto hæc sint prædicata contradictoria, & cur, etiam si verificentur de vna, non solum re, sed

etiam realitate, hæc nihilominus sit virtualiter eadem, & non multiplex; eo videlicet, quod ei non conueniant, prout est talis, supra manet ostensum.

281 Vigefimum octauum argumentum est; lumine naturæ videri manifestum propositiones negatiuas veras realem arguere distinctionem subiectum inter, & prædicatum, quibus constant: aliàs, cum dicitur, homo non est lapis, idque ex vero, cur propterea homo à lapide realiter distinctus censeatur? Atqui admissa distinctione virtuali, propositiones negatiuæ, quin realiter distinguantur earum subiectum, & prædicatum, erunt veræ: hæc enim propositio, ut aliis supersederes: *rationalitas non est similis equo*: est negatiua, & vera: & tamen rationalitas non distinguitur realiter à similitudine in actu primo cum equo, de qua sola in præsentiarum sermo, siue, quod perinde est, ab animalitate, merito cuius homo est similis equo.

282 Verum in isto argumentum in Deo; in quo hæc propositiones negatiuæ sunt veræ, Deus non vult creare alium mundum, Paternitas non est communicabilis Filio: essentia non est productiua ut quod ad intra. At tamen subiectum, & prædicatum harum haud sunt realiter distincta inuicem. Non certè primæ, volitio enim libera alterius mundi, tametsi Deum modo velle non faciat, pro eo, ac potest, ab eo tamen realiter est indistincta. Non secundæ, quoniam non omnis communicabilitas à Paternitate distinguitur realiter, aliàs essentia diuina sic esset ab ea distincta. Non denique tertiæ, siquidem vis productiua ut quod ad intra haud distinguitur realiter ab essentia, cum relatio Paternitatis, & Filiationis nequeant ab ea distinguere. In isto etiam argumentum in rebus creatis: hæc enim propositio negatiua *essentia Petri non existit*; est vera, cum tamen essentia Petri, & eius existentia realiter non distinguantur iuxta magis probabilem, ac modò magis communem sententiam. Quam tamen, si non recipiant aduersarij, en aliam instantiam, nulla, ut arbitror, exceptione refragabilem: hæc propositio; *existentia Petri non existit*; vera oppidò est: & tamen existentia Petri est à seipsa realiter indistincta, ut certo certius.

283 Deinde respondeo, propositiones negatiuas aliquando identitatem realem subiecti, & prædicati destruere, ut, cum dicitur homo non est lapis, aliquando verò solam identitatem virtualem, ut, cum enuntiatum aliquid eorum extremorum, quibus iam iam vsi sumus contra aduersarios nostros in instantiis. Ergo si propositio negatiua sit prioris generis, eius veritas cum distinctione reali subiecti à prædicato coniuncta erit, & idcirco ista propositio negatiua; homo non est lapis utriusque realem distinctionem postulat. Sin autem propositio negatiua sit posterioris generis, profecto vera esse poterit, quin propterea inter illius subiectum, & prædicatum vlla interfit distinctio realis. Quandoquidem igitur hæc propositio negatiua, *rationalitas non est similis equo*, ad posterius attinet genus, & solam identitatem virtualem, & immediatam rationalitatis cum similitudine equina, siue animalitatem hominem equo assimilante significat, nouum alicui accidere non debet, quod veritas eius propositionis cum subiecti, & prædicati, quæ necit inuicem, identitate, & indistinctione cohareat. Quamuis autem propositio refingatur talem in modum, *rationalitas realiter non est similis equo*, haud propterea identitas realis, maiorve virtuali per eam negabitur: sensus enim eius erit: rationalitas non est virtualiter idem cum reali, ac vera similitudine in actu primo cum equo, siue cum animalitate hominem equo realiter assimilante: quem

in modum, etsi affirmes, Paternitatem non esse realiter communicabilem Filio, haud propterea identitatem realem inter Paternitatem, & essentiam, siue communicabilitatem inficias ieris.

284 Vltcrius argumento respondeo, quoties in rebus saltem creatis vnum negatur de alio per propositionem inficalem veram, idque absque reduplicatione, aut adiectione tacita, vel expressa, tum subiectum, & pradicatum realiter oportere distingui; & hac de causa non sine distinctione reali hominis à lapide accidere, vt absolute, ac verè dicatur; homo non est lapis. Caterum, cum dicimus, rationalitas non est similis equo, aut, animalitas non est dissimilis equo, hæc, & similia tacitam saltem congeminationem, & adiectionem concernunt, cuiusmodi est, vt *rationalitas, vt animalitas*, iuxta sæpe sæpius dicta, & explicata: haud ergo est quapropter subiecti, & pradicati realem arguant distinctionem. Tandem respondeo, cum propositiones negatiuæ sensum efficiunt duntaxat præcisum, nullam deposcere sua inter extrema distinctionem realem: eiusmodi autem esse sensum illius propositionis, rationalitas non est similis equo, & aliarum id genus, cum interim propositio ab aduersariis obiecta, & extremis realiter distinctis terminata, videlicet homo non est lapis, strictè neget, & non tantum præscindat.

285 Vigessimum nonum argumentum, & superiorum confirmatio: repugnat, vt de eadem re idem verè affirmetur, ac negetur: ac concessa distinctione virtuali id minime repugnabit: nam de animalitate, & rationalitate, quæ quidem est eadem res, verum erit alteram cognosci, alteram non cognosci, vnam esse similem, & dissimilem aliam: ergo &c. maior suadetur ex Aristotele cap. 10. de oppositis: *in affirmatione verò, & negatione semper, siue sit, siue non sit, alterum erit falsum, alterum verum: horum enim agrotare Socratem, & non agrotare Socratem, siue sit, siue non sit Socrates, alterum verum, alterum falsum esse patet: si enim non sit, agrotare illum est falsum, non agrotare verum: quare hisce solis hoc competit, alterum, inquam, ipsorum verum esse, alterum falsum, quæ, vt affirmatio, & negatio opponuntur.* Id ipsum docet Anselmus cap. 3. de incarnatione. Verbi: *de vna quippe & eadem re non est vera simul affirmatio & negatio eiusdem: sed de alia re affirmare aliquid, & de alia id ipsum negare, nihil prohibet.* Consentit Augustinus de categoriis cap. 18.

286 Confirmatur, & declaratur: duæ propositiones contradictoriæ nequeunt esse simul veræ, sed alteram necesse est veram, alteram falsam esse, vt omnibus est in confesso: acqui contradictoriæ propositiones simultaneam admittunt veritatem, vbi distinctio virtualis admittatur in rebus creatis: haud ergo est admittenda: maior, vt dixi, est omnium: minor est in propatulo: nam hæc propositiones, animalitas hominis cognoscitur, rationalitas non cognoscitur, veræ sunt in sententia distinguendum virtualiter eiusmodi formalitates: sed sunt contradictoriæ, idem enim de eadem propriè re affirmant, & denegant: quod autem improprie, & secundum quid diuersum sit vtriusque subiectum, merito distinctionis virtualis, parum refert: siquidem hæc propositiones; homo est equus, animal rationale non est equus, reipsa, ac verè contradicunt inuicem: & tamen sunt de subiecto secundum quid, & improprie diuerso, munere scilicet distinctionis rationis, qua homo secernitur ab animali rationali; similiter ergo in præsentia, &c.

287 Caterum hoc etiam argumentum, eiusque confirmatio in Deo apertam patiuntur instantiam: hæc

namque propositiones veræ sunt: natura diuina communicatur Filio: Paternitas diuina non communicatur Filio: declarent ergo aduersarij, an propterea idem de eodem verè affirmari, ac negari queat; anve propositiones contradictoriæ sint simul veræ: & non tantum sibi: sed etiam nobis solutionem præstabunt. Deinde absolute dicendum est, idem simul affirmari, ac negari non posse de eadem re, si eadem non solum realiter, sed etiam virtualiter sit, idque tantum voluisse Aristotelem, Anselmum, Augustinum, & alios passim doctores; secus verò, si sit eadem realiter, diuersa tamen, ac multiplex virtualiter. Porro admissa distinctione virtuali de re non virtualiter, sed realiter eadem affirmatur, ac negatur idem. Animalitas enim, quæ cognoscitur viso procul homine, & rationalitas, quæ non cognoscitur, sed later, virtualiter sunt distinctæ. Propositiones etiam, quibus alteram cognosci, alteramque non cognosci enuntiat, vniuersimque omnes, quæ ex distinctione virtuali sequuntur, haud sunt contradictoriæ: contradictio enim identitatem, non solum realem, sed etiam virtualem subiecti postulat. Quid mirum ergo, si eius defectu præfatæ propositiones non contradicant inuicem? Diuersa ratio est harum propositionum: *homo est equus, animal rationale non est equus*: quamuis enim vtriusque subiectum sit multiplex secundum quid, ea tamen multiplicitas est solius rationis, siue considerationis: hæc autem ad tollendam contradictionem est insufficientis: tum, quia minor est, quam distinctio virtualis, licet hæc secundum quid, & impropria sit, adeoque perperam ab vna arguitur ad aliam, idcirco autem minor est, quia non perinde, ac distinctio virtualis habet se à parte rei, & ante omnem intellectus operationem: tum etiam, quia, si multiplicitas solius rationis esset tollendo contradictionem, nullæ propositiones realiter distinctæ essent contradictoriæ: omnes enim sunt de subiectis distinctis ratione nostra, & quæ diuersos terminant conceptus; quo pacto subiectum, & pradicatum cuiusvis propositionis cum reali identitate distinctionem rationis coniunctam habent. Præterquam, quod hæc propositio: *animal rationale non est equus*; virtute contineat hanc; *homo non est equus*: vnde sicut hæc contradicit formaliter propositioni affirmanti, *hominem esse equum*, ita & illa prior, saltem virtualiter: secus accidit in iis propositionibus, quarum subiecta sunt virtualiter distincta: neutra siquidem inferre potest propositionem formaliter contradicentem alteri, vt constat ex omnibus nostræ sententiæ probationibus.

Trigesimum argumentum aduersus eam. Quædam realiter identificata, distingui tamen virtualiter, ac subire prædicata contradictoria, est ea distingui realiter in tertio saltem: tum, quia contradictio prædicatorum arguit semper aliquam distinctionem realem, vt videtur luce clarius; sicubi ergo non realem immediatam, propter immediatam videlicet identitatem extremorum, quibus conuenit, certè realem mediatam, siue in tertio: tum secundo, quia triplex relatio diuina, & eius essentia, de quibus solis constat ex nostræ fidei principiis, quod sint virtualiter distinctæ, & non obstante earum reali identitate, prædicatis contradictoriis obnoxia, sanè distinguuntur realiter in tertio: v. g. Paternitas, & essentia, quarum altera communicatur Filio, secus verò altera, distinguuntur hoc ipso realiter in tertio, id est in filiatione, cum qua videlicet identificatur essentia, & quæ distinguitur realiter à Paternitate, & quidem ita distinctionem virtualem in

diuinis explicant, & defendunt OKamus in log. 2. part. cap. 2. & in 1. dist. 2. quæst. 2. & Hieronymus Fasolus 1. part. quæst. 28. art. 2. dubit. 2. & alij recentiores theologi. Tum Sic: in rebus creatis distinctio realis in tertio, siue mediata extremorum immediate eorundem, & indistinctorum nequaquam reperitur: id enim esset, in eis admittere quidpiam simile mysterio Triados, contra, quam disputauimus in Dialect. lib. 8. tract. 2. cap. 2. nequit ergo in eis concedi distinctio virtualis intrinseca.

289 Negandum tamen est, distinctionem virtualem talem esse, qualem eam explicant aduersarij, tum, vt illam in creatis demoliantur, tum, vt eam in diuinis adstruant. Atque imprimis supra satis superque ostensum est, contradictionem prædicatorum nullam opus habere distinctionem realem in tertio, sed sine ea factam, & rectam in nobis reperi: quorsum ergo eiusmodi contradictio, ac distinctio virtualis explicari debeat per distinctionem realem in tertio? Rursus secundo: potissima causa distinctionis virtualis cum distinctione reali in tertio confundenda est, vt ita difficultas mysterij triados melius explicari possit, atque defendi: at in hunc finem ea prorsus est inutilis: siquidem iuxta disputantes ita haud reperitur in vlla re creata distinctio virtualis intrinseca, aut prædicatorum contradictio, adeoque tota ab eis mysterij illius adeo ineffabilis difficultas in eo statuitur, quod vna, eademque simplicissima res, cuiusmodi est v.g. essentia, & Paternitas subeat prædicata contradictoria: sed vtriusque distinctio realis in tertio huiusmodi difficultatem non tollit, nec emoluit: quid enim refert, eas distingui realiter in tertio, siue mediata, vt talibus prædicatis contradictoriis sint obnoxia: ita siquidem eas distingui, est proprie loquendo non distingui: tum, quia causa mediata, vt in physica probauimus, est improprie causa: ergo & mediata distinctio improprie distinctio: tum etiam, quia proprie identificantur ambæ, quæ ergo fieri potest, vt proprie distinguantur propter id, quod sunt in tertio, & mediata distinctæ? Quandoquidem igitur essentiam diuinam, & Paternitatem distingui realiter in tertio, siue mediata, haud est, nisi titulus sine re, & sine vlla inter eas vera distinctione, distinctionis nomen duntaxat, & inanis sonus, cuius, vt dictum est, vtilitatis esse potest ad tuenda, & explicanda quæ eis conueniunt prædicata contradictoria: videlicet communicari, & non communicari?

290 Hæc, si, quamuis videantur conuenire Paternitati, & essentia non illis conuenirent reuera, sed potius Paternitati, & tertiæ illi entitati, in qua, & penes quam ab essentia distinguitur realiter, nimirum Filiationi aliquid afferrent aduersarij, quod ad rem faceret, quodque contradictionem prædicatorum in diuinis repperam emolliret. Caterum, vel de ipsorum confessione, ea recidit immediate supra ipsam Paternitatem, & essentiam, & altera earum communicatur Filio, altera vero non communicatur. Quod, si de his prædicatis contradictoriis dubitent, ad alia appello: nam essentia iuxta aduersarios distinguitur realiter in tertio à Paternitate, & Paternitas ita à seipsa non distinguitur, vt luce clarius.

291 Ad hæc: cum dicitur, idcirco in Deo eandem rem subire prædicata contradictoria, quoniam vna eius formalitas distinguitur realiter ab alia mediata, & in tertio, vna certe difficultas per aliam explicatur maiorem: namque in creatis nunquam iuxta contrarios vna formalitas ab alia secum eadem distinguitur realiter mediata, siue in tertio, neque fieri potest, vt quæ sunt idem realiter, & numericè, habeant ali-

quod tertium ab vno non altero realiter distinctum, aut quæ specie sunt idem, fortiantur aliquod tertium specie distinctum ab altero tantum eorum, aut quæ genere, &c. Sicut ergo aduersarij contradictio-nem prædicatorum in Deo per distinctionem realem in tertio explicant, quidni seorsim ab illa per distinctionem virtualem: hæc enim haud difficilior est, quàm illa; imò, quantum sentio, facilius multis partibus.

292 Tertio principaliter mihi displicet is modus explicandi distinctionem virtualem in diuinis. Namque volitio creandi mundum hunc, & essentia diuina distinguuntur virtualiter, habentque prædicata contradictoria, ponit enim essentia diuina abesse ea denominationis volentis condere mundum istum, ipsa tamen sibi haud potuit abesse: nihilominus ambæ non distinguuntur realiter in tertio. Eas enim ita distingui, iuxta aduersarios est, essentiam identificari realiter cum volitione, quæ realiter denominatione distincta est à volitione. At hæc doctrina est omni, vt sic dicā, falsitate falsior. Nam imprimis nulla prædicata absoluta, nulla, nisi solas tres personas in Deo realiter distingui Conciliū Florentinū, & Patres communiter edocent: quæ ergo fieri potest, vt volitio libera mundum hunc moliendi, & volitio ei opposita sint realiter distinctæ inuicem? Nec valet dicere, eas denominatione, adeoque secundum quid tantum distingui: quia quod sint duæ terminationes, seu denominationes meræ, omnis perfectionis formalissimè expertes, haud potest detrachere quidpiam de quantitate distinctionis realis inter eas repertæ, vel facere, quominus distinguantur, quantum tres personæ diuinæ: quo pacto duæ carentiæ hominis v. g. & equi tantum distinguuntur, quantum homo, & equus; item ens, & non ens non minus, imo fortasse magis, quàm duo entia. Vtremque secundum eiusmodi volitio, & nolitio, vel distinguuntur realiter inter se inuicem, propter earum separabilitatem realem, vel potius propter illarum oppositionem, & impossibilitatem. Non ob separabilitatem: nam essentia est à quauis earum separabilis: & tamen eas inter, & essentiam non est realis distinctio, vt aduersariis etiam est in confesso: & iure merito, alioqui Deus vult, aut noler per aliquod accidens à se realiter distinctum, sibi inhaerens, non ob impossibilitatem, & oppositionem; siquidè nullum signū maius distinctionis realis, quàm separabilitas, at earū & essentia separabilitas, quia est denominatiua tantum nullā arguit inter essentiam, & illas distinctionē realem, vt supponimus vtrique: similiter ergo earū inter se oppositio, & impossibilitas, cum sit merè denominatiua siue terminatiua, nullus erit inter eas distinctionis realis argumentum.

293 Quarto mihi displicet is modus explanandæ, aut potius intricandæ distinctionis virtualis in Deo. Quoniam eius essentia distinguitur virtualiter à tribus relationibus collectiue sumptis, & hæc à seipsis ita non distinguuntur: huiusmodi autem prædicata contradictoria reuocari nequeunt in aliquam distinctionem realem in tertio, siue mediatam: essentia enim diuina cum nullo identificatur, quod realiter sit distinctum à collectione trium personarum, aut è conuerso. Dicunt aduersarij, eam identificari cum vna relatione, quæ realiter inadæquate distinguitur à tota collectione trium. Sed enim, si paulò aliter struantur prædicata contradictoria à nobis obiecta, ac dicatur, essentiam virtualiter distingui à tota collectione trium relationum, & à quauis illarum, nullus erit effugio locus: etenim cum nullo identificatur essentia, quod sit realiter inadæquate distinctum, & à tota collectione trium personarum, & à quauis earum singula

singularum sumpta. Superfedeo aliis impugnationibus: res enim est theologica, & alieni instituti.

294 Trigesimum primum argumentum. Repugnat identitas virtualis extremorum actu distinctorum, ratione cuius ita se habeant ad recipienda prædicata contradictoria, ac si verè, & actu essent distincta inuicem. Antecedens est perspicuum: quæ enim actu, & verè distinguuntur, non possunt non recipere aliqua prædicata contradictoria: tum, quia vnum distinguitur ab altero, & alterum à seipso non est distinctum: hæc autem sunt prædicata contradictoria; aliqua ergo necessariò recipiunt: tum etiam, quia non contaret, an Petrus v. g. realiter, & actu distinguatur à seipso, nec nò; quòd enim prædicata contradictoria nulla ei conueniant, non tam in identitatem actualem, & veram eius cum semetipso, quam in identitatem virtualem cum distinctione actuali eius à seipso coniunctam posset referri. Consequentia argumenti suadet: quia non magis excludit distinctio actualis identitatem actualem, quam è contrario identitas actualis actualem distinctionem, & tamen identitas actualis ita distinctionem excludit actualem, vt admittat virtua-
lem: similiter ergo ita distinctio actualis actualem excludit identitatem, vt virtualem admittat.

295 Confirmatur primò: æqualitas vera, & propria duorum conceptuum non potest morari cum eorum inæqualitate virtuali, ratione cuius perinde se habeant ad inæquales causas effectus, & proprietates habendas, ac si verè non essent æquales: identitas ergo vera, & actualis aliquorum conceptuum non poterit esse coniuncta cum eorum distinctione virtuali, merito cuius ita se habeant in ordine ad prædicata contradictoria recipienda, ac si non identificarentur inuicem. Consequentia videtur legitima, & sine vilo discrimine. Antecedens etiam liquet, quoniam alioqui nullum nobis suppleret argumentum ad inæqualitatem hominis v. g. & Angeli probandam: & sic de cæteris rebus. Quòd enim homo, & Angelus ab inæqualibus causis proficiantur, ille nimirum à causa secunda, hic à sola causa prima: rursus quòd inæquales producant effectus, videlicet hic perfectiores cognitiones, amores, ac motus locales, ille verò imperfectiores: item quòd alter perfectius duret, & æuo mensuretur, alter imperfectius, & tempore reguletur, ad solam potest inæqualitatem virtua-
lem, & secundum quid referri, vbi hæc semel possibilibus sit, & cum vera æqualitate cohereat.

296 Confirmatur secundo: similitudo atomi, & specifica excludit dissimilitudinem specificam virtua-
lem, munere cuius conceptus omnino similes perinde respiciant diuersa, ac dissimilia connotata, ac, si verè dissimiles essent: aliàs non conspicio, quo pacto probari possit, vnionem hypostaticam verbi ab vnione hypostatica Patris, & Spiritus possibili differre: licet enim ex vniones diuersa connotent extrema, tum intrinseca, tum extrinseca id in dissimilitudinem virtua-
lem referri possit, ac deberet. At hæc dissimilitudo virtualis conceptuum verè, & omnino similibus est chimerica prorsus: ergo & distinctio virtualis conceptuum realiter, atque actualiter eorundem censeretur debet falsa, & commentitia.

297 Hoc argumento vsus sum aliquando ad reiiciendum distinctionem virtua-
lem, qualis est exposita huius initio tractatus. Cæterum illud in primis insto: malitia moralis ita opposita est bonitati morali, vt bonitatem physicam, & alterius ordinis in eodem actu admittat: & tamen inde inferri nequit, bonitatem moralem ita oppositam malitiæ morali, vt malitiam physicam; ac diuersi ordinis admittere possit

in eodem actu: eo enim ipso, quòd actus moraliter bonus sit, & physice bonus, ac non malus esse debet ratione positivæ tendentiæ, qua in obiectum consonum naturæ rationali fertur: & quidem in præfenti haud est sermo de malitia physica respectiva, & secundum quid, qualis est in calore v. g. respectu aquæ, sed de absoluta, ac simpliciter tali, quæ certè cum non ente recurrit: huiusmodi autem malitiam physicam constat non posse non abesse ab actu: eo ipso, quòd sit moraliter bonus: similiter ergo licet in euentu nostræ disputationis identitas realis distinctioni reali opposita virtua-
lem distinctionem admittat, non ob id distinctio actualis, & realis identitatem virtua-
lem admittat. Deinde occasione posterioris confirmationis paulò suprà posita, tum ipsam, tum, cui adiicitur, argumentum sic insto: dissimilitudo specifica ita excludit similitudinem specificam, vt genericam, & alterius ordinis admittat: & tamen non propterea è conuerso specifica similitudo in rebus, quibus conuenit, genericam admittit dissimilitudinem: Similiter ergo in præfenti, &c.

298 Absolutè respondeo: distingui quædam actu, & verè, est eis conuenire prædicata aliqua contradictoria, tamen non omnia: identificari autem verè, & actu, est ea excludere aliqua prædicata contradictoria, non tamen omnia. Prius per se patet, & à nullo sanæ mentis potest negari. Posterius verò liquet exemplo, & paritate illius prioris, & à nobis suprà decem argumentis est probatum, vt interim alia communia, & vulgò circumferri solita silentio prætermittam. Quandoquidem igitur distinctio vera, & actualis aliquorum prædicatorum contradictionem essentialiter postulat, quæ fieri potest, vt sit coniuncta cum commentitia illa identitate virtuali, merito cuius omnem eorum contradictionem excludat, nullamque admittat: Contrà verò cum identitas realis solum aliqua prædicata contradictoria excludat, certè in ordine ad id genus qualicumque sint admittenda, haud se habebit perinde res vna, & eadem, ac si esset multiplex: cæterum non erit: cur in ordine ad alia recipienda non sit cum virtuali quadam multiplicitate, ac distinctione coniuncta. Hic etiam patet ad duas confirmationes argumenti: nam respectus duorum extremorum ad inæqualia, ac dissimilia connotata est formaliter inæqualitas, & dissimilitudo in ipsis radicibus: quare refundi nequit in æquivalentiam meram inæqualitatis, & dissimilitudinis: at quòd contradictio prædicatorum omnis haud sit distinctio vera, & actualis; & à nobis est suprà multis probatum, & etiam inde constat, quòd non pauca prædicata contradictoria, cuiusmodi v. g. sunt cognosci, & non cognosci sint post distinctionem realem extremorum, & in forma, & carentia formæ sita: vnde potest aliqua prædicatorum contradictio in solam distinctionis actualis æquivalentiam quandam, & virtutem refundi.

299 Trigesimum secundum argumentum. Si in vlla re creata locum haberent prædicata contradictoria cum distinctione virtuali coniuncta, maximè similitudo, & carentia similitudinis: at ista nusquam locum habent, etsi videantur se habere in animali, & rationali. Animal enim, quo constat homo, nequit esse simile equo, & rationale simul non simile: nam, vel animal hominis est simile equo, prout contractum per rationalitatem; & potius ita est non simile equo: vel est simile equo, prout abstractum à rationalitate; & ita cum nondum sit distinctum, diuersumque realiter ab equo, quæ fieri potest, vt eius respectu sortiat relationem realem similitudinis, quæ cæterarum omnium more extrema realiter distincta postulat?

Respondeo


300 Respondeo primò, animal hominis prout abstractum à rationalitate esse diuersum ab equo, non quidem specificè propter præcisionem illam à differentia sua specifica; ac certè numericè, ac realiter ob hæcitatatem, quam inuoluere potest, ac debet, quantumuis ita abstractum: hanc autem posteriorem distinctionem, siue diuersitatem sufficere ad realem similitudinis, & quamuis aliam. Respondeo secundò, tamen si, vt contendit argumentum, omnis distinctio, siue diuersitas in actu secundo animalis humani ab equino permittatur disputandi gratiâ proficisci à rationalitate, animal tamen hominis, prout abstractum ab illa, dici posse realiter simile equo, aliterue ad eum relatum: siquidem similitudinis, alteriusque cuiusvis relationis sufficiens fundamentum est distinctio in actu primo seorsim à quauis in actu secundo, quam vocant exercitiam.

301 Trigésimum tertium argumentum est, à nobis committi circulum vitiosum. Interrogant enim, cur animal, & rationale, cum realiter, ac propriè idem sint, prædicata tamen contradictoria fortiantur, illicò respondemus, quia distinguuntur virtualiter. Deinde interroganti, quapropter animal, & rationale distinguuntur virtualiter, statim referimus, quoniam eis prædicata contradictoria competunt. Circulo igitur gyroque vitioso, eò, vnde cœpimus, retroagimur, totamque rem inexplicatam, & minimè perspicuam, sicuti antea relinquimus; quemadmodum si quis diceret, patrem esse, qui habet filium, & filium qui habet patrem, & neutrum amplius exponeret.

Hi, qui sic arguunt, hostem sibi fingunt, quem 302 feriant. Haud enim omnes, qui distinctionem virtualem tuemur, ita de ea Philosophamur, sicuti supponitur in argumento; sed rectius sentientes dicimus, ideo animal, ac rationale prædicata habere contradictoria, quoniam distinguuntur virtualiter, ideo verò illa virtualiter distingui, quia habent aptitudinē ad prædicata contradictoria, & idcirco denique ea habere eiusmodi aptitudinem, quoniam à posteriori hoc multis, faciliusque efficacibus colligitur argumentis. In hoc autem philosophandi modo, quæ, obsecro, vitiosa conuersio? quæ rei explicandæ confusio, & implicatio? Quid vitiatius, quàm rationem reddere effectus per causam, & rursus causam definire, & explicare per aptitudinem ad effectum, & hanc tandem à posteriori enucleare, medio aliquo ad id inuento? Sic dicimus, hominem sentire, ac discurre, quia est homo, esse hominem, quia est animal rationale, siue principium sentiendi, & discurrendi; rursus esse principium sentiendi & discurrendi siue animal rationale, quoniam à posteriori per signa, vel effectus id veniamur. Eundem ergo in modum contradictio prædicatorum per distinctionem virtualem, veluti effectus per causam, & distinctio virtualis per aptitudinem ad prædicata contradictoria, tanquam causa per aptitudinem ad effectum suum, & rursus hæc aptitudo à posteriori variis mediis, & argumentis colligitur, quin opus nobis sit eo regredi, vnde cœpimus.

303 Postremum argumentum, aut potius argumentorum syluula. Admissa distinctione virtuali quorumcunque graduum inæqualium, necesse erit, vt ens, perfectio, differentia, indiuiduum in communi, &c. à suis inferioribus virtualiter distinguantur. Consequens autem est absurdum: haud enim videtur negari posse, rationalitatem formalissimè, siue virtualiter intrinsecè esse ens, & esse perfectionem, necnon differentiam: item Perseitatē v. g. simili ratione esse indiduationem. Cæterum hæc partim explicata

sunt in Dialect. lib. 9. tract. 4. cap. 3. & 4. partim verò explicabuntur inferiùs libro quinto huius operis tractatu primo per totum. Atque hæcenus argumenta aduersus distinctionem virtualem intrinsecam in rebus creatis, & quæ in aliis reperi, & quæ mihi sese obrulerunt.



TRACTATUS V.

De vnitatis entis vt sic.

CAPVT I.

In quo consistat vnitatis?

Est multiplicem identitatem, ac distinctionem entis vt sic hæcenus latissimè explicatas, super sunt explicandæ tres notissimæ eiusdem entis proprietates, videlicet vnitatis, veritatis, & bonitatis. Vnitatis vno omnium consensu est indiuisio rei in se aut, quod perinde, est negatio diuisionis rei in se; diuidi autem duas res inuicem est vnam non esse alteri intrinsecam, aut per identitatem, aut etiam per vnionem physicam. An autem vnitatis siue indiuisio, conceptus positius sit, an negatiuus? An & quouique distinguatur ab ente? inter Authores controvertitur. D. Bonau. Alexander, Vasquez, Sorus, & alij per plures apud P. Suarez disp. 4. Metaphys. sect. 1. Vasquez 1. part. tom. 2. disp. 128. cap. 2. tenent, vnitatem esse conceptum positium, sola ratione ab ente distinctum. Scotus 4. Metaphys. quæst. 2. & eius asseclæ censent, vnitatem esse conceptum positium ab ente ex natura rei, siue realiter modaliter distinctum. D. Thomas p. 1. quæst. 6. art. 3. Caietan. 1. part. quæst. 11. art. 1. Fonseca 4. Metaphys. quæst. 5. cap. 5. & alij complures tenent, vnitatem esse meram negationem realiter ab ente distinctam. Tandem Capreolus in 1. dist. 24. quæst. 1. Soncinas, lauellus, Flandria, & communiter Thomistæ docent, vnitatem esse complexum quoddam ex ente, & negatione diuisionis superaddita. Non desunt etiam qui ens nullas habere proprietates à se distinctas, ac proinde vnum in ipso ente circumscripto quouis alio consistere arbitrentur. Quid ipse sentiam, & in quo cum Authoribus commemoratis consentiam, acque dissentiam, nonnullis assertionibus, vt mihi moris est, explico.

2 Affero ergo primò: ens habet proprietates aliquas propriè tales & à se distinctas; ac proinde vnitatis ab ente quodammodo distingui debet. Hæc assertio probatur primò autoritate Aristotel. 4. Metaphys. cap. 1. ibi: *est scientia quadam, quæ speculatur ens in quantum ens est, & ea, quæ illi per se insunt*. Secundò quia ens est subiectum Metaphysicæ: at subiectum scientiæ proprietates aliquas de eo demonstrabiles sortiri debet, vt omnium scientiarum inductione constat: ergo ens eiusmodi proprietates sibi vendicat, à quibus non est, cur vna vnitatis excludatur. Tertiò quia vnum attribuitur enti absque vlla intellectus fictione, vt manifestum videtur: at quod attribuitur alicui, ab eo quodammodo distinguitur: nihil enim sibi ipsi attribui potest: ergo vnum ab ente saltem ratione distinguitur: quid ergo ei ad proprietatem entis deesse potest?

3 Affero secundò: vnitatis in sola negatione consistit. Probatur, quia aliquid esse vnum est esse indiuisum in se, vt cum Aristotele 4. Metaphys. & 10. Metaphys. & alibi sæpè omnes Philosophi fatentur: ergo vnitatis est